



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Sectio I. In quo convenient, & differant Privilegia Bullata ab his, quæ
oretenus conceduntur, & vivæ vocis oracula nuncupantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

DISPUTATIO OCTAVA.

De privilegijs viva vocis Oraculo concessis.

In supradictis non pauca diximus de vivæ vocis oraculis, præcipuè *disp. 7. de confirmat. privileg. sect. 3. à num. 8.* quæ omnino videnda sunt; at, quia multa alia pro noticia oraculorum, eorumque revocationibus desiderari possent, merito in hunc locum futius remisimus discutienda.

S E C T I O I.

In quo convenient, & differant privilegia Bullata ab his, quæ oratenus conceduntur, & viva vocis oracula nuncupantur?

565. 1. **D**ico primò, si ista privilegia considerentur quantum ad efficaciam valoris convenient inter se; nam vivæ vocis Oracula æqualem valorem habent, saltem, quoad forum conscientia, ac si essent concessa per Bullam, aut Breve ad perpetuam rei memoriam. Pontifex enim sive scripto, sive sine scripto, gratiam concedens, nihil de gratia tollit, cum adsit potestas, nec deficiat voluntas. Unde merito Leo X. id ipsum concessit, seu declaravit, in gratiam Fratrum Minorum, videlicet: *Quod non sunt minoris efficacia concessu illis per oracula, quam si per Bullam, seu Breve concessa forent.* Habetur in *supplem. concess. 361.* teste Rodrig. Tom. 1. 99. *quest. 7. art. 7. in fine;* idemque docet Tom. 3. *quest. 22. art. 1.* quem sequuntur Sanchez lib. 8. *de matrim. disp. 29. num. 4.* nosse Lezana 3. *part.*

summ. verb. Gratia, num. 13. Donat. Tract. 15. q. 3. n. 1.

2. Dixi, saltem quoad forum conscientia; nam si oracula omnia requisita, quæ statim dicemus contineant; etiam pro utroque foro eandem vim retinent, ac aliæ Constitutiones Papales scriptæ. Colligitur apertè ex *Cap. institutionis 25. quest. 2. & ex Clement. datum, § Nos etenim de sepult. & ibi Gloss. sic P. Donat. ubi supra,* Imò ad resistendum revocationibus, oracula superant privilegia Bullata, quia per revocationem privilegiorum non intelliguntur revocata oracula, nisi in specie de eis mentio fiat, ut docet Hieronym. Rodr. in *Comp. resol. 117. num. 1.* sequutus Felician. de *Cersib. cap. 15.* Innocent. in *Cap. constitutus, num. 2. de rescript. Felin. Const. 6. num. 1. Enriq. lib. 7. de indulgent. cap. 24. num. 8.* & esse de praxi Curia Romanæ docet Peirin Tom. 1. *privileg. ad Constit. 4. Julij li. §. 3. num. 26. in fine, & ad Constit. 17. ejusdem Pontif. num. 1. & 3. Bordon. de oracul. resolut. 31. quest. 1. num. 1.* Joan. Maria Novarius in *Lucerna Regul. verb. Privileg. Regularibus concessa num. 1. Portel. verb. Viva vocis oracul. Donatus quest. 3. ubi supr.*

supr. noſter Lezan. *Tom. 1. ſumm. cap. 3. num. 21.* & alij communiter. In odioſis enim reſtriſione utendum eſt, ſicut & in favorabilibus extenſione. Et revera licet gratiæ oretenus factæ ſint privilegia; tamen in communi, & propriâ ſignificatione hujus vocis *Privilegia* non veniunt intelligenda oracula, niſi addatur *oretenus conſeſſa*, ſiquidem in rigore ſermonis, & in acceptione communi, ſub nomine privilegij, ſolùm ſignificantur privilegia ſcripta, ut notavit Pelizarius *Tract. 8. cap. 1. ſect. 1. q. 9.* & alij. Suppoſitis requiſitis ad valorem privilegij, de quibus fuſè diximus *diſp. 2. ſect. 3.*

567. 3. Dico ſecundo, Privilegia Bullata differunt ab oraculis in hoc, quod illa neceſſariò requirunt ſcripturam, manu Papæ ſubſcriptam, vel juxta ſtylum Curie Romanæ, in ſignatura ſolent notari; oracula verò id non requirunt, ſed ſolùm ut conſtet, quod oretenus fuerunt conſeſſa. Unde ſi duo teſtes conſeſſioni adſuerunt; etiam pro foro exteriori valebunt; ſi minus pro foro tantum interno. Inſuper *Leo X.* conſeſſit, ſeu declaravit pro Fratibus Minoribus, ut poſſint ſecura conſcientia uti, & ſui omnibus conſeſſis ſibi à Sede Apoſtolica, prout in libris Ordinis reperiuntur; ſic *Rodrig. Tom. 1. q. 7. art. 5.* & *Tom. 3. quaſt. 22. art. 1. & 3.* Hieronym. *Rodr. reſp. 117.* Bordon. de *Oracul. reſol. 31. q. 1. n. 1.* Donat. *Tract. 15. de Oracul. q. 2. n. 6.*

568. 4. Eſt, & alia differentia inter vivæ vocis oracula, & privilegia Bullata, ex qua facile cognoscetur, qualis ſit gratia conſeſſa; nempe, quod in privilegio Bullato ipſemet Papa loquitur: In Ora-

culo autem loquitur tertia perſona, referens, & atteſtans, quid Papa conſeſſerit, ut conſtat ex Oraculis, quæ adducuntur ab Authoribus, præcipuè à *Rodrig. in ſuo Bullario.*

SECTIO II.

De revocatione Oraculorum.

1. PRO complemento hujus materiæ 569. repetere licet nonnulla, quæ diximus de Oraculis *diſp. 2. ſect. 3. à num. 8.* ſit primum *Gregor. XV.* ſub anno 1622. revocari omnes conſeſſiones uſque tunc, oretenus factas per ſuos Anteceſſores, *Conſt. 17.* incipit: *Romanus Pontifex*, habeturque in 4. *Tom. Bullarj Cherubini.* Rurſus, eandem revocationem iterum produxit *Vrbanus VIII. Conſtitut. 9. in appendice die 11. Aprilis anno 1631.* ut in Bullario magno. Sed hoc fuit diſcrimen inter has revocatorias, quod in revocatoria *Gregorj* excepta ſunt vivæ vocis Oracula, quæ manu propriâ alicujus Cardinalis ſubſcripta invenirentur: Et quæ ad inſtantiam Regum erant conſeſſa: At *Vrbanus VIII.* hæc etiam revocavit; ſed poſtea idem *Vrbanus* in alia *Conſtitutione 29.* in appendice, incipiente: *Aliaſ ſelic. recordat.* hunc temperavit rigorem, declarans, prædictam ſuam revocationem, non comprehendere oracula expedita, per illos Officiales, quibus ratione munerum ſuorum antea de ſummi Pontificis Oraculo, fides haberi ſolebat; ut videre eſt apud *Peirinum, Lezannam, Donatum, & alios.*

2. Hujusmodi Officiales ſunt multi, & varij, prout adnotatur in Extravagant. 570.

Dd

gant.